

Strabo geogr. VII p. 291.

Strabonis locus VII 291, ubi Lupiam fluvium quemadmodum Virurgim et Amasiam septentrionem versus ferri et in Oceanum effundi, intervallo DC stadiorum a Rheno diremtum dicit, manifesto mendo laborat; nam Lupia ab oriente sole versus occidentem fertur et Rheno, non Oceano miscetur, ita ut spatium inter Rhenum et Lupiam non licuerit emetiri geographo, nisi forte intervallum, quod intercessit inter castra vetera ad Rhenum et Alisonem castellum ad Lupiam temere retulerit ad fluvios istos. Zeussius (die Deutschen p. 93) Strabonis errorem sibi deprehendisse videtur, atque ejusmodi erratum facile geographo condonabimus; sed librarios potius culpandos esse arguit oratio manifesto hians, nam postquam gentes in Oceani littore recensuit, continuo haec sequuntur: ἐπὶ ταῦτά δὲ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται Βίσουργις κτλ., quae qua necessitudine juncta sint aegre intelligas. Scripserat opinor Strabo: Πρὸς δὲ τῷ Ὠκεανῷ Σούγαμβροι . . . καὶ Ἀμψιανοί, (παρ' οἷς ἐκδίδωσιν ὁ Ἀμασίας) διέχων Πήνου περὶ ἑξακοσίους σταδίους. ἐπὶ ταῦτά τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται Βίσουργις τε καὶ ἄλλοι πλείους.

(Ἔστι) καὶ Λουπίας ποταμὸς ῥέων διὰ Βρουκτιέρων τῶν ἑλατιόνων. ἔστι δὲ καὶ Σάλας ποταμὸς, οὗ μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου κτλ. Scripsi Ἀμψιανοὶ, libri Καμψιανοὶ, infra p. 292 item vitiose Ἀμψάνων. Ampsianos tunc videntur Romani appellavisse eos, qui Amasiae ostio finitimi erant, namque nomen a flumine transisse apparet; quod nomen cum non sit reapse gentilicium, scriptores post secuti non memorant. Hic autem orationem redintegravi additis verbis παρ' οἷς ἐκδίδωσιν ὁ Ἀμασίας et inserto inciso, quod in libris male adhaeret Lupiae, convenitque fere stadiorum numerus; Strabo iter a Rheni ripa ad Amasiam LXXV m. passuum esse compererat. Amasiae cursum Strabo supra p. 290. descripserat, ita ut jam nihil hic desideres. Post Βίσουργις ἄλλοι πλείους quod libri gentium indici addunt, collocavi et ἔστι adjeci, ut orationem redintegrarem. Geographus postquam orae maritimae gentes et flumina enumeravit, interiora perstringens Lupiam et Salam recenset. Turbae inde ortae, quod librarius ea, quae in archetypo omissa et deinde in margine adscripta erant, non suis locis inseruit, alia autem (παρ' οἷς ἐκδίδωσιν ὁ Ἀμασίας et ἔστι) plane praetermisit.

Aus Th. Bergk's hinterlassenen Papieren.